Photo in Gehse(?)
der Bd. selbst viell. Priesterseminar Essen
→ Hannover HStA?   Bamb. Staatsbibl. IX A 118?

[illegible] pusillis istis. Attendite uobis. Si peccauerit in te frater tuus
increpa illum. & si penitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies
in die peccauerit in te. & septies in die conuersus fuerit ad te
dicens penitet me, dimitte illi. Et dixerunt apostoli domino. Adauge
nobis fidem. Dixit autem dominus. Si haberetis fidem sicut granum sinap[is]
diceretis huic arbori moro. eradicare & transplantare in mare.
& obediret uobis. Quis autem uestrum habens seruum arantem aut
[pascentem] qui regresso de agro dicet illi statim. transi & discumbe.
[Et non dicet] ei. para quod cenem. & precinge te. & ministra [mihi]
[donec man]ducem & bibam. & post hec tu manducabis & bibes. Numquid
gratiam habet seruo illi quia fecit que sibi imperauerat. Non puto.
Sic & uos cum feceritis omnia que precepta sunt uobis, dicite. Serui
inutiles sumus quod debuimus facere, fecimus.
[Ex]altabo te domine quoniam [suscepisti] me [illegible]
[Eduxit] me in latitudinem. saluum me fecit quoniam uo[luit] me. Di[ligam]
[Sancti] nominis tui domine timorem pariter & amorem fac nos
habere perpetuum. quia numquam tua gubernatione destituis
quos in soliditate tue dilectionis instituis. [illegible]
[Fratres]. Nolite mirari si odit uos mundus. Nos scimus quoniam translati
sumus de morte ad uitam. quoniam diligimus fratres. Qui non diligit
manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.
[Et] scitis quoniam omnis homicida non habet uitam eternam in se manentem.